

dimentum, quia actu posito ante legis præscriptum non impletur præceptum.

PUNCTUM II.

Alia dubia circa communionem paschalem.

54. Inq. 1. An per communionem sacrilegam adimpleatur hoc præceptum? R. neg. *Primo*: Quia ita constat ex propos. 55. damnata ab Innoc. XI. *Præcepto communionis annuæ satisficit per sacrilegam Domini manducationem. Secundo*: Quia præceptum Ecclesie est determinatio præcepti divini: sed divinum præceptum non adimpletur per communionem sacrilegam: ergo nec ecclesiasticum. *Tertio*: Quia Ecclesia præcipit communionem, quæ uniat fideles cum Christo, ergo non adimpletur per communionem sacrilegam, quæ non uniat, sed separat fideles a Christo.

55. Inq. 2. An excommunicati, & Interdicti excusentur a communionem paschali? R. affirm. Quia habent impotentiam spiritualem: per excommunicationem enim, & interdictum privati sunt a sacramentorum participatione. Peccant tamen contra hoc præceptum, si sua contumacia obicem ponant, aut absolutionem non curent.

56. Inq. 3. An fideles teneantur sumere communionem paschalem de manu Pastoris proprii, & in propria Parochia? R. affirm. Constat ex laudato Concilio Lateran. Nomine autem proprii Pastoris intelligitur summus Pontifex in toto orbe, Episcopus in sua Diœcesi, Parochus in sua Parochia. Qui tempore Paschatis degunt in aliena Parochia, in ea, qua reperitur, possunt adimplere præceptum communionis paschalis. Unde peregrini, & alii a domicilio proprio absentes, ita ut ad proprios Parochos accedere non possint, valent ex eorum tacita licentia juxta declarationem Eugenii IV. a religiosis, aliisque Sacerdotibus, facultatem administrandi Eucharistiam habentibus, communionem paschalem suscipere, & præcepto satisfacere: nisi cito reversuri ad propria velint differre communionem ad eam in propria Parochia post regressum desumendam.

57. Similiter qui cum licentia Parochi certo præsumpta, & moraliter certa communicant in alia quacumque Ecclesia, sive sæculari, sive regulari tempore paschali,

sciens certo, quod ita velit proprius Parochus, præcepto satisfacit: quia habens talem certitudinem moralem de Parochi voluntate, de ejus licentia id facere censetur. communicans autem in cathedralis licentia Parochi, minime satisfacit præcepto: quia Cathedralis non est parochia communis, ut aliqui putarunt. Sacerdos, ubicumque celebret, satisfacit huic præcepto. Si vero non celebret, tenetur communicare in propria Parochia, & de manu proprii Sacerdotis Eucharistiam sumere. Qui ex duplici domicilio duplici gaudet parochia, in qualibet valet communicare.

58. Laici familiares religiosorum intra septa degentes possunt sumere communionem paschalem in monasteriis, quia sicut ibi possunt, inconsultis Parochis, sepeliri: ita etiam possunt sacramenta suscipere. Sic Illustriss. Lambertinus *Inst.* 55. ubi præfata approbat his tribus conditionibus: *Ut actu inseruiant intra eorum septa, ac domos resideant; ac sub eorum obedientia vivant.* Unde fallitur *Conc. Tom. v. pag. 271. n. 6.* id ipsum concedens famulis conjugatis noctu extra coenobium dormientibus, isti enim non dicuntur residere intra septa monasterii. Nec similiter famuli, aut famule monialium commorantes in domibus contiguis earum monasteriis; ut habetur ex declaratione sacræ Congregationis relata ibidem ab eodem Lambertino.

59. Inq. 4. An regulares in propriis Ecclesiis possint Eucharistiam sæcularibus in die Paschæ ministrare? R. licet regulares Eucharistiam tempore paschali, ac etiam hebdomada majori valeant ministrare omnibus ex devotione illam sumere cupientibus; minime vero in prima die Resurrectionis. Constat ex *Syn. l. 9. c. 16. n. 3.* Et ex *Bulla Magno cum animi*, expedita a Bened. XIV. die secunda Junii 2751. ubi de more copiosam congerens eruditionem statuit nostram assertionem: quam accurate notare debent regulares, ut sicut cæteras, istam etiam apostolicam sanctionem ad unguem observent. Nec decipiantur doctrina Concilii, qui *ubi supra n. 3.* veram appellat contrariam opinionem, esto alias sententias non adeo clare menti Ecclesie oppositas soleat falsas indigitare. Nos autem indicamus has, & quasdam alias assertiones hujus Theologi,

logi, alias præclari, ne quisquam cespiter, ac reducat eas in praxim absque ulla indagine.

60. Inq. 5. Quas pœnas incurrant omitentes absque causa, vel indigæ peragentes confessionem annualem, & communionem paschalem? R. In jure non dari pœnas latas contra hujusmodi transgressores. Verum in cap. *Utriusque sexus* assignatur duplex pœna ferenda, nempe privatio ingressus Ecclesie in vita, & sepultura ecclesiastica post mortem. In singulis Diœcesibus solent Episcopi statuere censuras latas contra inobedientes: ideo cujusque loci consuetudines, & synodalia statuta inspici debent. In Diœcesi Calagurritana imposita est excommunicatio ipso facto incurrenda contra omitentes communionem paschalem, quæ censura incurritur ab omnibus, qui saltem in Dominica in albis non adimplent præceptum communionis. Ita habetur in ejus constitutionibus synodalibus *Titul. 8. de pœnis. & remissionib. const. 3.*

61. Hoc advertant, doceant, & prædicent Parochi. Pures enim prætextu ignorantie aliam concedi hebdomadam pro adimplitione præcepti sibi suadere presumunt, unde suam desidia, & oscitantiam falsa illa præsumptione foventes, transgrediuntur præceptum, atque excommunicationem incurritur; hæc autem incursum non est casus Episcopo reservatus, nisi post denuntiationem nominatim altera Dominica publicatam, ut ibidem cavetur *Constit. 21.*

62. Si Parochus agnoscat aliquem, vel aliquos communionem paschalem omittere, secreto eos moneat. Si monitio privata non prosit, comminetur e suggestu generaliter, quod si quis reperitur negligens in materia, se emendet; alias erit denunciandus Episcopo, vel publice in tabella, si adsit excommunicatio synodalis contra eos in Diœcesi statuta.

CAPUT IV.

De jejuniis ecclesiasticis.

O mnes catholici venerantur, ut par est, & unanimiter amplectuntur jejunia ab Ecclesia præscripta, despicientes sophismata recentiorum hæreticorum, qui

esto concedant jejunium fuisse præceptum in lege veteri, negant tamen ab Ecclesia posse præcipi, tenerique christianos illorum observantia. Quo abjecto errore, pro jejunii ecclesiastici explanatione sit.

PUNCTUM I.

De præcepto ecclesiastico jejunii.

63. Inq. 1. Quotuplex sit jejunium? R. Quadruplex jejunium distinguunt communiter Doctores. *Primum est spirituale*: hoc est abstinere a vitiiis, quod jejunium magnum appellatur a D. Agostino, & metaphorice dicitur jejunium. *Secundum est jejunium naturale*, seu naturale: scilicet abstinentia ab omni prorsus cibo, & potu. *Tertium est jejunium virtutis*, seu morale, nempe abstinentia a cibo, & potu juxta regulas temperantia. *Quartum*, & ultimum est jejunium ecclesiasticum, & de hoc communiter vox jejunii accipitur, & agimus in præsentia, definiuntque: *parisimonia vitius, abstinentiaque ciborum juxta formam ab Ecclesia præscriptam.* Sic colligitur ex S. Isidoro relato a D. Thoma 2. 2. q. 147. art. 2. & 3.

64. Inq. 2. An jejunium sit actus virtutis honestus, & meritorius apud Deum? R. affirm. Ita D. Thom. loco citato art. 1. dicens: *Respondeo dicendum, quod ex hoc est aliquis actus virtuosus, quod per rationem ordinatur ad aliquod bonum honestum. Hoc autem convenit jejunio. Assumitur enim principaliter ad tria. Primo quidem ad concupiscentias carnis reprimendas. Secundo assumitur ad hoc, quod mens liberius elevetur ad sublimia contemplanda. Tertio ad satisfaciendum pro peccatis.* Unde *Joel 11. dicitur: convertimini ad me in toto corde vestro in jejunio, in fletu, & planctu.*

65. Præter utilitates spirituales recensitas a D. Thom. plures etiam corporales assert observantia jejunii. Nam ut dicitur *Ecl. 37. Qui abstinet est, adjiciet vitam.* Sobrietas enim non solum sacritatis, sed sanitatis, & longevitatis est mater, & nutrix; Unde Paulus eremita, Antonius, & alii anachoretæ summam sanctitatem, nec non longævam ætatem per jejunium, & sobrietatem fuere assecuti. Imo ante diluvium homines carne, & vino abstinentes ad nongentos annos, & ultra vitam ducebant.

bant. Non pauci gentiles in exemplum sobrietatis, & abstinentiæ antiquis Valentinianis, ac recentioribus Lutheranis deservire utique valent. siquidem Horemus, Cyrus, Pythagoras, Antisthenes, Socrates, Xenocrates, & alii cum Stoicis fere omnibus mira sobrietate floruerunt, ab eaque optimo jure laudantur, ac merito celebrantur, ergo honestum est jejunium, actusque virtutis plurimum laudabilis, utpote animabus, corporibusque medendis salubriter institutum.

66. Inq. 3. An detur præceptum jejunandi diebus ab Ecclesia præscriptis? R. affirm. Primo, quia hoc est quartum Ecclesie præceptum communi fidelium consensu receptum. Secundo, quia constat ex pluribus capitibus juris canonici infra laudandis. Tertio, quia constat etiam ex proposito, 23. damnata ab Alex. VII. *Frangens jejunium Ecclesie ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta si non vult se subjicere præcepto.* Datur ergo præceptum ecclesiasticum jejunandi, quod quidem graviter obligat, etiam seclusa expressa inobedientia. Unde merito damnata est prædicta propositio; quoniam præceptum absolute impositum de materia gravi, & quæ valde conducit ad profectum spirituale, uti est jejunium, graviter proculdubio obligat.

67. Inq. 4. Quot præcepta includat jejunium ecclesiasticum? R. Includere quinque præcepta. Primum de unica tantum comestione. Secundum de abstinentia a carnibus, & in quadragessima ab ovis, & lacticiis. Tertium de hora comestionis. Quartum, quod dispensati ad carnes non permisceant pisces simul cum carne. Quintum, quod hujusmodi dispensati semel tantum prandeant. Primum de unica comestione constat ex Populi Christiani universali consuetudine a tempore Apostolorum observata. Secundum de abstinentia carnium, & lacticiorum constat ex cap. *De esu carnis, dist. 3. de consecrat. Et cap. Denique, dist. 4.* Tertium de hora prandii constat ex cap. *Solent, dist. 1. de consecrat.* Quartum, & quintum novissime pro dispensatis imposita, seu declarata sunt a Benedicto XIV. Omnia ex dicendis fusius patebunt.

68. Inq. 5. An præceptum jejunii sit

affirmativum, aut negativum? R. Aliqui sentiunt esse affirmativum; alii contendunt esse negativum: alii asserunt esse partim affirmativum, & partim negativum. Nos autem dicimus esse proprie negativum: quia præceptum, quod impleri optime potest absque ullo actu externo, est proprie negativum; sed præceptum jejunii absque ullo actu externo potest optime impleri, ergo est negativum. Minor patet: quia qui in die jejunii nihil prorsus gustaret, optime implet præceptum, optimeque jejunaret.

69. Confirmatur: quia præceptum jejunii tantum intendit prohibere plura prandia, permittendo unicam comestionem, quam lex naturalis præcipit propter necessitatem; hæc vero cessante, nulla lege præcipitur comestio etiam unica, ergo præceptum jejunii est proprie negativum. Sicut enim præceptum de celebratione non cogit, sed permittit Sacerdotem quotidie celebrare, prohibet vero ne bis in die celebret absque dispensatione, ita præceptum jejunii non cogit, nec præcipit, sed permittit unicam comestionem, prohibet vero duplicem absque causa, aut dispensatione.

70. Inq. 6. An unica comestio sit pars principalis jejunii, an vero abstinentia a carnibus? R. Abstinentiam a pluribus comestionibus esse partem primariam, & principalem jejunii; quia in veteri lege vera jejunia observabantur, quia consuetudo nobis ex sacra scriptura Judæos jejunantes a carnibus abstinuisse. Igitur licet abstinentia a carnibus sit pars integralis jejunii, debeatque observari in diebus essurialibus, præcisa necessitate, vel dispensatione, tamen non ut pars principalis jejunii; alias omnes dies abstinentiæ essent etiam dies jejunii, cujus oppositum constat.

PUNCTUM II.

De abstinentia a carnibus.

71. Inq. 1. Quos cibos nomine carnium Ecclesia prohibeat? R. Ea omnia nomine carnium comprehendit, quæ juxta communem Ecclesie usum, & medicorum judicium a piscibus contra distinguuntur. Si dubium de eis oriatur, medici periti consulendi sunt,

sunt, eorumque judicio standum. Universaliter illa animalia, quæ diu extra aquam vivere solent, inter carnes computari debent. Ex quo sequitur 1. limaces, testudines, ranas, conchas, locustas licite in diebus jejunii comedi posse, quia communi acceptione pro piscibus habentur. Sequitur 2. Corvos marinos, fulicas, gontras, & alias aves, quæ enutriuntur in aquis, vel in eis cibum quærunt; quamvis forte saporem piscium habeant, esse in diebus jejunii prohibitas: quia pro carnibus reputantur; nisi alicubi opposita consuetudo contrarium teneat. Lutra, vulgo *Nutria*, cum in aqua fere semper inhabitet, inter pisces communiter computatur. Sequitur 3. Nominæ carnium intelligi olera cocta cum carnibus, & jus ipsius carnis, quia imbibunt ejus substantiam, & potiori jure sanguis, lardum, & saginem, cum substantiam carnis participant, ab eisque dimanent. Vide Benedict. XIV. in *Synodo lib. 11. cap. 5. n. 9. & seq.*

72. Igitur has omnes carnes absolute vetat Ecclesia in omni jejunio, & diebus abstinentiæ. Unde peccaret mortaliter, qui eis in magna quantitate vesceretur, & venialiter, si illarum parvam quantitatem sumeret. Quæ autem sit parvitas materiæ, vix assignari potest. Omnes asserunt, quod particula carnis debeat esse satis exigua, ut pro parvitate materiæ judicari possit.

73. Inq. 2. An sit licitum in aliquo eventu jejunii tempore carnes comedere? R. Quod licite potest carnibus vesci, qui nullum alium cibum habet: quia præceptum ecclesiasticum non obligat cum periculo vitæ. Idem est dicendum de illo, qui solum panem haberet, si per longum tempus duraret inedia, & non sit assuetus solo pane sustentari, quia solo pane vesci per longum tempus, maxime non assuetis, esset nimis grave; Ecclesia autem, dum carnes prohibet, solum moderatam abstinentiam intendit. Similiter coqui, & pistores ex necessitate serviçii possunt in die jejunii carnes gustare.

74. Valent etiam vesci carnibus diebus prohibitis fideles, per infidelium Provincias transeuntes, seu remigantes in hæreticorum, & infidelium tremibus, quoties grave periculum illis imminet. Nisi in Ecclesie contemptum ad carnes edendas cogantur: nam tunc urget divinum præ-

ceptum vitam pro fide exponendi. Licitum etiam est carnes ministrare perpetuo amentibus, & pueris ante usum rationis, utpote non subjectis legibus. Denique licitum est carnibus vesci quocumque die ex gravi infirmitate, sive ex dispensatione ratione debilitatis, seu ægre valetudinis, Christiani orientales etiam in periculo, seu articulo mortis observant abstinentiam a carnibus in quadragesima, ita ut nulla infirmitate quantumvis gravi ab observantia quadagesimali excusentur, ut refert Illustriss. Lambert. *Instit. 15. num. 15.*

75. Inq. 3. An dispensatus in die jejunii ad esum carnium possit quascumque carnes comedere? R. negative. Quia solum est dispensatus ad carnes salubres. Constat ex edicto Clem. XI. die 24. Februarii 1702. dato pro statu Pontificio, ubi sic loquitur. "Animadvertant & mendi, & qui petunt licentiam, ut attendant qualitatem carnium, quod nempe sint salubres; quia hæc solum permittuntur in quadragesima his, qui ex justa causa nequeunt vesci cibis quadagesimalibus." Et quamvis edictum hoc solum obliget in statu Pontificio, omnes tamen dispensationes expediuntur simili forma, ut videre licet in dispensationibus a Pio VI. factis pro regnis Hispaniarum, in quarum declaratione sic se explicat Comisarius generalis cruciata: *Dispensamos para que podais comer carnes saludables en los dias de Domingos, Lunes, &c.* Universaliter ergo observari debet conditio hæc. Caro Suilla in sententia celeberrimi Medici Hoffmanni apud Ligorium, non videtur inter carnes insalubres computanda; harum designatio pendet ex judicio medicorum, attendente regionis qualitate, & unicujusque complexione, consuetudineque patriæ, ut sæpius declaravit Comisarius cruciata. Vid. Lamb. ubi supra n. 23.

76. Inq. 4. An dispensatus in quadragesima ad carnes possit eas comedere diebus quatuor temporum, & feriis sextis, & sabbatis quadagesimæ? R. Quod si dispensatus eam patiatur infirmitatem, ut per annum omni feria sexta, & sabbato carnibus egeat, & vescatur, etiam in quadragesima, nullo die excepto, illas comedere poterit. Si vero communiter per annum semel, aut bis in hebdomada a car-

342
nibus abstineat, potiori ratione debet abstinere in quadragesima, diebus quatuor temporum, veneris, & sabbatis. Quia dispensatio nequit extendi ultra necessitatem: peccaretque medicus si absque justa causa ad omnes, nullo excepto, dies licentiam concederet. Vñ medico iterum, Vñ illis, qui ne perdant temporalia, amittunt æterna! Qui saltem tempore quadragesimæ, tempore inquam penitentis, aliquid incommodum corporis tolerare nolunt, quomodo Christi vestigia sequi arbitrantur? Sed quomodo ejus regnum consequi valebunt?

PUNCTUM III.

De non permiscendo carnes simul cum piscibus in diebus esurialibus.

77. Inq. 1. An dispensatus ad carnes possit simul, & pisces comedere? R. neg. Sic Bened. XIV. in triplici constitutione de hac re edita. Prima incipiens: *Non ambigimus 30. Maii 1741.* Secunda: *In suprema, 22. Augusti ejusdem anni.* Tertia: *Si fraternitas tua 8. Julii 1744.* directa ad Archiepiscopum Compostellanum supra quæstiones circa leges jejunii propositas.

78. Inq. 2. Quid decernatur in prædictis constitutionibus? R. Quod in tertia, quæ est velut declaratoria, & confirmatoria anteriorum septem dubia, seu capita decernit. *Primum*, teneri sub gravi præcepto dispensantes ad carnes, ne concedant facultatem ad eas vescendas, nisi duplici adjecta conditione: *unicæ comestionis, & non permiscendi carnes simul cum piscibus.* Eos vero, qui hujusmodi facultatibus utantur, duplicem ipsam conditionem observare teneri. *Secundum*, debere uti in vespertina refectiuacula eisdem cibis, quibus utuntur homines meticulousæ conscientis. Hoc est, non posse sumere pro colatione carnem, nec quidquam cum ea coctum, aut ab ea effluens, seu dimanans. *Tertium*, observandam esse horam comestionis jejunaantibus præscriptam. *Quartum*, epulas licitas pro dispensatis ad carnes esse ipsas carnes: interdictas vero esse pisces. Dispensatos autem ad ova, & lacticia simul pisces comedere posse. *Quintum*, permixtionem carnis cum

piscibus prohibitam esse etiam in Dominicis quadragesimæ. *Sextum*, nihil prænunciatis decretis derogatum esse indulto Bullæ cruciatæ. *Septimum*, memorata duo præcepta de unica comestione, & non permiscendo epulas interdictas obligare, etiam extra quadragesimam, hoc est, in jejuniis per annum.

79. Inq. 3. An in diebus abstinentiæ extra quadragesimam dispensato ad carnes liceat permixtio carnis cum piscibus? R. neg. Prob. primo ex paritate doctrinæ, & rationis. Si enim in quadragesima est illicita permixtio dispensatis, esto non jejunent, ut in Dominicis: cur non in diebus abstinentiæ intra annum? Si dispensantur ad carnes, quia alii cibi sunt eis nocivi, abstinere ab eis, & ne irrideant sacras vigilias ab Ecclesia sancte præscriptas. Secundo ex responsione ejusdem Pontificis ad Archiepiscopum Casarugustanum, quæ præscindendo ab eo quod obliget, vel non in vi legis universalis, declarat mentem Pontificis, quæ maximam tribuit auctoritatem assertioni. Ut videre est in sequenti decreto.

80. Ex audientia SS. die 5. Janu. an 1755. Sanctissimus firma remanente dispositione constitutionum apostolicarum, & declarationum super his a sanctitate sua editarum, quæ in præcibus enuntiantur; quamvis illæ respiciant tempus quadragesimæ, aliosque anni dies, quibus jejunium de præcepto servandum est; nihilominus ex alia ratione declarat eos etiam, quibus ex justa causa permittitur essus carnis diebus veneris, & sabbatis, aliisque per annum diebus, in quibus præceptum est abstinendi ab eisdem carnibus absque obligatione jejunii, nequaquam posse una cum carnibus pisces quoque comedere, nisi forte valetudinis causa hoc ipsis a medico concessum fuerit. Joannes Carolus Boschi secretarius. *Loco * Sigilli.*

81. Inq. 4. An dispensatus ad carnes in quadragesima possit eis vesci in meridie, & cenare pisces in Dominicis, vel aliis diebus, quibus non jejunat ex aliqua causa? R. affirm. Quia præceptum de non permiscendo solum obligat in eodem prandio, aut in eadem coena, sive jentaculo, ita ut nullus dispensatus ad carnes possit simul cum eis pisces comedere. Dispensa-

ti

ti igitur ad carnes, simulque a jejuniis ratione laboris, aut indulti, possunt quidem cenare carnes tantum, aut pisces tantum; non vero simul pisces cum carnibus. Qui eget jure, & pulmento carne cocto, & non ipsa carne, potest, & debet hac relicta complere prandium ex ovis, & piscibus, aut alio cibo.

82. Inq. 5. An adolescentes ante vigesimum primum annum teneantur præcepto non permiscendi simul epulas interdictas sive intra, sive extra quadragesimam? R. affirm. Quia hujusmodi juvenes reputari debent sicut ceteri dispensati in Dominicis quadragesimæ, in quibus talis permixtio prohibita est omnibus dispensatis. Ultra quod, ut diximus, obligat etiam in vigiliis, aut abstinentiis intra annum, in quibus nullus tenetur ad jejunandum.

83. Inq. 6. Quid debeant observare medici, quando declarant posse valetudinarios vesci carnibus in diebus jejunii? R. Teneri sub mortali animadvertere, ut observent unicam comestionem, & minime carnes simul cum piscibus misceant: id ipsum debet observare quicumque Superior privilegium dispensationis concedens. Ita expresse habetur in præcatis constitutionibus. Debent etiam medici sub gravi licentiam concedere solum ad carnes salubres juxta dicta n. 75. Cæterum ova, & lacticia licite possunt dispensati sumere cum carnibus: quia eorum simultanea permixtio non prohibetur, cum sint aliquid carnis. Nec edere simul pisces, lac, & ova.

84. Inq. 7. An milites possint vesci carnibus simul cum piscibus in diebus esurialibus? R. neg. Quia lex prohibens est universalis, omnesque comprehendit, ergo etiam milites ad eam tenentur; nisi aliunde excusentur, vel nova declaratione, vel ratione belli actualis, in quo vix moraliter possunt observari hujusmodi præcepta. Intellegitur ergo resolutio absolute loquendo, & de militibus, qui unicam sufficientem prandium de carnibus possunt habere in diebus, quibus eis vescuntur ex indulto Clem. XII., de quo infra fusius redibit sermo.

85. Inq. 8. An detur parvitas materis in permixtione piscium cum carnibus? R. affirm. Nam præcepta humana regulariter admittunt parvitatem materis: nisi in

jejuniis naturali pro Eucharistiæ sumptione, in ætate ad ordines, & professionem, & aliis perpaucis. Unde dimidiam unciam piscis sumere simul cum carnibus etiam absque causa non videtur excedere culpam venialem: Si autem aliqua addeset causa, vacaret ab omni culpa.

86. Inq. 9. An aliquando liceat permixtio carnis cum piscibus in eodem prandio? R. affirm. Quando ex consilio medici propter inappetentiam, vel propter nimiam debilitatem id necessitas postulaverit, ut constat ex eodem rescripto dicente: *Nisi forte valetudinis causa hoc ipsis a medico concessum fuerit.* Nec actualiter infirmi comprehenduntur in prohibitionem permixtionis, nec unica comestionis: isti enim non ex indulto, aut dispensatione vescuntur carnibus, sed ex ægritudine actuali excusantur a legibus Ecclesie; esto teneantur servare præcepta virtutis temperantis.

87. Inq. 10. An toties graviter peccet quis, quoties in die jejunii edit carnes, aut alios cibos vetitos? R. affirm. Quia præceptum abstinendi a cibis vetitis est negativum obligans semper, & pro semper, ergo. Idem dicendum de miscentibus carnes cum piscibus, quando dispensantur ad carnes propter eandem rationem: in qualibet igitur permixtione grave peccatum committitur.

88. Inq. 11. An qui votum emisit non comedendi tali die carnes, aut ova, toties peccet, quoties illa edit? R. affirm. Quia tale votum est admodum præcepti negativi; sed præceptum negativum obligat toto tempore, pro quo imponitur, ergo cum pro toto die emitatur votum non comedendi carnes, aut ova: toto die proculdubio obligat. Idem est dicendum de eo, qui vovit jejunium tali die: quia directe vult id, quod essentialiter est jejunio, nempe abstinentiæ a carnibus, & unicam comestionem: ergo quoties violatur jejunium per carnium comestionem, toties multiplicat peccata. Non tamen obstrictus est ad jejunandum alio die: quia votum non de jejuniis ut sic, sed pro tali die, fuit elicatum: unde sicut, qui frangit jejunium ecclesiasticum, non tenetur alio die jejunare, quia pro determinato die lata est lex, sic in præsentis casu, utrobique eam ipsissima est ratio.

89. Inq. 12. An in regnis, in quibus non est oleum, liceat uti sagimine in diebus, in quibus usus carniū est prohibitus? R. affirm. Maxime si alii cibi præter legumina, & olera non suppetant: quia necessitas olei usum sagiminis licitum facit, alias valde difficile necessarius cibus posset preparari. Sed in hoc casu consultius foret adire Superiorem, ut dispenset. Non enim est cuiusque decernere, quando talis urgeat olei penuria, quæ sufficiat pro usu licito sagiminis, seu lardi.

PUNCTUM IV.

De abstinentia a lacticiis.

90. Inq. 1. An abstinentia a lacticiis, & ovis obliget in quadragesima? R. affirm. Constat ex Tertuliano, & aliis Patribus, qui asserunt primos Christianos in quadragesimali jejunio solis xerophagiis usos fuisse, idest cibis aridis, & exsiccatis. Confirm. ex cap. Denique dist. 4. ubi D. Gregor. M. ait: *Par autem est, ut quibus diebus a carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam carnis trahunt originem, jejunemus, a lacte, videlicet, a caseo, & ovis. Cæterum piscium essus ita Christiano relinquatur, ut hoc ei infirmitatis solatium, non luxurie pariat incendium.* Ex quibus constat dari in Ecclesia præceptum abstinendi in quadragesima ab ovis, & lacticiis, non vero in aliis jejniis. Observanda tamen est consuetudo vere laudabilis, quæ circa hoc in diversis Provinciis viget, ut in hac alma Urbe Romana, ubi in omnibus jejniis ecclesiasticis servatur abstinentia ab ovis, & lacticiis.

91. Inq. 2. Utrum præfata abstinentia obliget sub mortali? R. affirm. Et ratio est, quia dicto cap. Denique, eodem verborum tenore prohibetur in quadragesima essus carniū, & lacticiū; sed carniū essus prohibetur sub mortali ergo, & essus lacticiū. Constat etiam ex propositione 52. ab Alexand. proscripta. *Non est evidens, quod consuetudo non comedendæ ovi; & lacticiis in quadragesima obliget.* Confirm. etiam tum ex communi catholicorum consensu. Tum ex conditione materiæ, quæ gravis est.

92. Inq. 3. An in Dominicis quadra-

gesimæ ejusmodi abstinentia a lacticiis obliget? R. affirm. Tum quia in laudato cap. Denique præcipitur, ut diebus quadragesimæ ab ovis, & lacticiis abstinemus; sed dies Dominicis sunt vere dies quadragesimæ; ergo si tum carnes, tum lacticiis in quadragesima prohibentur, sicut ab illis, ita ab istis abstinendum est diebus Dominicis. Tum ex can. 56. Concilii Trullani, quod *Quinti sextum* nuncupatur, ubi expresse sub depositionis pœna Clericis, laicis vero sub excommunicatione præcipitur abstinere diebus Dominicis sanctæ quadragesimæ ab ovis, & caseo. In quo etiam innuitur, adesse in universali Ecclesia consuetudinem abstinendi ab ovis, & lacticiis in quadragesimali jejunio: ergo sub mortali obligat, cum sit de re gravi, & legitime introducta. Et licet Concilium hoc ecclesiasticam non habeat auctoritatem, ut inquit Cano, & nos in principio notavimus, nihilominus deservit ad manifestandam consuetudinem, quæ sexto labente seculo in Ecclesia circa lacticiis vigebat.

93. Inq. 4. An regulares, & Presbyteri sæculares possint ex vi Bullæ cruciatæ Dominicis quadragesimæ vesci ovis, & lacticiis? R. neg. Et ratio est; quia, re bene inspecta, præcipitur in præfata Bulla regularibus, ut constat ex illis verbis *Patriarchis vero, Archiepiscopis, nec non aliis personis regularibus, & qui in ordine Presbyteratus fuerint, secularibus id minime conceditur, nisi sexagenarii fuerint.* Sed id quod conceditur secularibus est, quod possint temporibus jejuniorum totius anni, etiam quadragesimalibus, vesci pro libito ovis, & lacticiis; in qua concessione potiori titulo dies Dominicis quadragesimales includuntur, alias sæculares non possent illis diebus, ratione hujus Bullæ, ovis, lacticiis vesci, ergo ex vi Bullæ cruciatæ nihilominus possunt regulares, nec Presbyteri sæculares uti ovis, & lacticiis in Dominicis quadragesimalibus. Poterunt vero regulares ordinis militaris, & omnes si sexagenarii sint: ut constat ex dicta Bulla. Ubi autem ad hæc opposita consuetudo pro cæteris regularibus, poterunt etiam ipsi illius privilegio gaudere ex vi consuetudinis.

94. Inq. 5. An agricolæ, & officiales pauperes, & iter agentes, dum ad manum non

ha-

habent pisces, possint vesci ovis, & lacticiis? R. 1. Quod pauperes ostiatim mendicantes, cum aliunde non habeant unde sustententur, licite possunt comedere frustra ovorum eis donata ratione necessitatis. R. 2. Quod alii pauperes, qui labore quotidiano victum sibi, & filiis comparant, licet debeant pro uno, vel altero die a lacticiis abstinere; at pro tota quadragesima non tenentur, quia hoc valde onerosum esset. Idem proportionabiliter iter agentibus applicandum est. De his omnibus tamen Episcopi, vel Parochi consulendi sunt, ut perspecta necessitate, quæ utiliora sunt, provideant.

95. Inq. 6. An in jejniis quadragesimæ liceat comedere in quacunque quantitate panem biscoctum, vulgo *viscochos*? R. neg. Quia substantia ovorum, quibus conficitur, non deperditur, ex quo misceatur farina; sed ova absolute prohibentur, ergo prohibita manent, & si aliæ substantiæ misceantur. Unde communiter Doctores solum admittunt posse sine jejunii fractione comedi aliquid parum hujusmodi panis ob parvitatem materiæ; quod non intelligas in collatione, vel tamquam additamentum in ea permissum, ut aliqui sine fundamento asseruere.

PUNCTUM V.

De unica refectioe.

96. Inq. 1. An unica refectio permissa, sit quid essentialia ad jejunium ecclesiasticum? R. affirm. Patet ex ejus definitione. Quovero jure id præcipiatur, docet D. Thom. 2. 2. q. 147. art. 6. *in argum. sed contra*, nimirum ex communi consuetudine populi Christiani, quæ vim legis habet, id introductum esse; sumpto origine a Judeorum jejunio, quod unica refectioe constabat, ut clare ex sacris litteris patet. Plura autem sunt, quæ istius unice commestionis integritati repugnant, de quibusdam sigillatim in hoc punct. agimus.

97. Inq. 2. An qui in die jejunii semel comedit, sed tot cibariis, & selectis epulis, ut se ingurgitet, nullamque carnis afflictionem sentiat, satisfiat præcepto ecclesiastico de jejunio? R. affirm. Licet peccet contra virtutem temperantiæ: Nam Ecclesia licet præcipiat unicam refectio-

Tom. II.

nem, & ciborum qualitatem, non eam potest taxare propter diversas corporum complexionones, ut inquit D. Th. *ibi art. 6. ad 1.* ergo qui semel tantum comedit, jejunio satisfacit, licet regulas temperantiæ transgrediat in unica comestione; nisi hæc in fraudem jejunii adeo protraheretur, ut plus illius jejunii, quam satisfactio præcepti videretur.

98. Objic. 1. Qui ventrem immoderate epulis replent, intentioni Ecclesiæ adversantur, quæ est corporis mortificatio, & concupiscentiæ motuum repressio. ergo. 2. Jejunium est actus virtutis abstinentiæ, & imperatus a temperantia: virtutis autem præceptum, per vitium oppositum, nempe gulam, impleri nequit: ergo. R. ad 1. Quod per immoderatam comestionem non impeditur finis intrinsecus præcepti, scilicet unica comestio, & abstinentia a certis cibis: sed solum finis extrinsecus, qui non requiritur ad adimpletionem præcepti. Ad 2. R. Quod abstinentia, quæ in jejunio præcipitur, non est absoluta, & ab omni cibo, sed tantum a carniibus, & pluribus comestionibus: his autem non contrariatur gula in cibis quadragesimalibus, cum ea posita, adhuc abstinentia dicta salvetur.

99. Inq. 3. An qui pluries in die jejunii comedit de cibis quadragesimalibus, pluries peccet? R. In hac antiqua controversia duplex adest sententia: probabilis est negativa, & defenditur a Theologis classicis; sed affirmativa est probabilior, quia validiore nititur ratione. Nam Ecclesia in die jejunii prohibet plures comestiones: ergo per quacunque comestionem ultra unicam permissam, agitur contra præceptum. Sicut quia prohibet in eodem die celebrare plures Missas, per quamlibet ultra permissam violatur præceptum.

100. Conf. 1. Qui non potest servare totam legem, tenetur ad partem, ergo licet, supposita secunda comestione, nequeas perfecte jejunare, debes quoad partem possibilem, vel eo modo, quo possis. Sicut qui frangit semel, aut iterum præceptum unicam tantum Missam in die celebrandi, jam nequit perfecte illud servare; non tamen propterea valet alias celebrare. Idem est de dispensato ad carnem in die jejunii; toties enim peccat, quoties præter comestionem permissam, seu dispensatam car-

Xx

nibus,

nibus vescitur. Conf. 2. Quia præceptum jejuniæ est negativum, ergo obligat, sicut præceptum abstinendi a carnibus, quod in omnium sententia obligat semper, & pro semper toto die, & patet in dispensatione ratione valetudinis ad carnes, dispensatur enim pro unica tantum comestione. Unde si pluries carnes comedat, duplex violat præceptum nempe jejuniæ, & abstinentiæ.

101. Objc. 1. Præceptum jejunandi est affirmativum, ergo non obligat pro semper toto die. 2. Jejunium in secunda comestione fuit fractum; ergo nequit frangi in tertia, & ceteris: ut patet in vase, quo semel fracto, de materiali est, quod frangatur in paucas, vel plures partes. 3. Forma jejuniæ consistit in unica comestione, ergo ea sublata, jam nequit consistere. R. Ad 1. Neg. anteced. Præceptum enim jejuniæ negativum potius est, quam affirmativum. Ad 2. Neg. conseq. Nam si vas fractum adhuc valeat servire, nequit licite amplius frangi contra voluntatem domini. Ad 3. neg. ant. Quia etiam sine ulla comestione stare potest perfectum jejunium; unde non præcipitur, sed permittitur unica comestio, quæ proinde non est forma jejuniæ, cum hoc absque illa consistere possit. Forma igitur jejuniæ est voluntaria abstinencia a cibis vitetis: Esto enim in ejus definitione ponatur unica comestio; hæc non est præcepta, sed permissa negando pluralitatem.

102. Inq. 4. An, qui e mensa surgit animo statim revertendi, & refectioem continuandi, frangat jejunium, si iterum comedat? R. neg. Quia moraliter est unica refectio cum prima continuata. Quodnam vero spatium inter fluere debeat inter has duas comestiones partes, non una est sententia. Sed congruentius, & communius dimidiæ horæ intervallum assignatur, quamvis id melius arbitrio prudentiæ relinquendum est. At si e mensa quis surgit animo amplius non comedendi, si ite um comedat, frangat jejunium; quia est diversa comestio cum prima non continuata moraliter. Qui vero credit prandium finitum, involvitque mappulam, & alio novo ferreo producto, comedit, non frangit jejunium; quia unicum prandium est, & reputatur.

103. Inq. 5. An qui lectioni, & mensis

inserviunt, siue sint religiosi, siue famulati ratione istius servitutis possint quidquam cibi ante prandium sumere? R. neg. Quia ejusmodi officium non est ita onerosum, ut tale privilegium exigat, nisi specialis circumstantia debilitatis alias excuset. Qui in die jejuniæ inculpabiliter, vel profectiois causa, vel ratione ignorantie jentaculum sumpsit, si contingat non proficisci, vel adsit scientia, tenetur legi jejuniæ eo modo, quo possit, quia is, qui omnia servare nequit, servare debet ea pauca, quæ potest. Qui rogatus ab amico aliquid sumit, ne inurbanus videatur, peccat contra jejunii legem: quia petitio illa iniuria est, cum vera urbanitas contraria nequeat esse ecclesiasticis præceptis, & potius esseendum est Deo, quam amico. Si invitatus sumat extra prandium notabilem quantitatem, peccat mortaliter; si modicam, venialiter. Idem est de eo, qui sape in die parum cibi sumit, ne potus doceat, aut ex alia causa. Const. ex prop. 29, ab Alex. VII. proscripta: *In die jejuniæ, qui modicum quid comedit, & si notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.*

104. Qui poma, pyra, uvæ, similesque fructus etiam ad extinguendam sitim in magna quantitate sumunt, jejunium frangunt: quia hæc omnia per se, & ratione sui sunt cibus, & ex se ad nutriendum sunt ordinata, ergo, & si a sumente ordinentur ad sitim extinguendam, semper erunt vere cibus. Sola materiæ parvitas excusare posset, vel manifesta necessitas, quæ legem non habet. Cocus tamen præ gustare licite valet cibos, dummodo id non fiat in fraudem jejunii.

105. Inq. 6. An potus vini, si sumatur extra refectioem ad sedandam famem, jejunii præceptum frangat? R. 1. Si vinum ad sedandam sitim, & si pluries extra refectioem bibatur, non frangit jejunium: quia Ecclesia solum prohibet, quod ex sua institutione est cibus, seu alimentum: vinum autem ex natura sua potus est, non cibus. R. 2. Et si vinum pluries sumatur extra refectioem ad sedandam famem, adhuc non frangere jejunium, ajunt non pauci: *quia statutum positivæ legis non attendit intentionem observantis, sed ipsum actum, eo quod modus virtutis non cadit in præcepto, sed est finis præcepti, inquit D. Thom.*

Thom. in 4. dist. 5. q. 3. ar. 4. q. 1. ad 3. Sed actus bibendi vinum, cum vere sit potus, jejunium ex se non frangit, ergo nec frangere dicendum est, et si ad nutritionem in fraudem jejunii sumatur. Quamvis hæc sententia sit valde communis, oppositum videtur affirmare D. Thom. loco citato ad 1. his verbis. *Et ideo ille, qui potat extra boram unice comestionis, non dicitur bis manducare; & propter hoc nec utaturum Ecclesie frangit, nisi fraudem faciat: quia legem violat, qui in fraudem legis aliquid facit:* his ultimis verbis aperte docet S. Doctor, eum violare jejunii legem, qui potum sumit ad famem propulsandam. Vide Lambertinum Institut. 15. n. 10. & 11.

106. Inq. 7. An electuaria, vulgo conservas, extra refectioem sumpta, jejunium frangat? R. Quod, si electuaria sumantur per modum medicinæ, jejunium non violant; secus vero si ad extinguendam famem, sive ob solam delectationem, in notabili quantitate sumantur. Prima pars aperte constat ex D. Th. 2. 2. q. 147. art. 6. ad 3. Et non obscure secunda his verbis: *Dicendum, quod electuaria etiam si aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum, unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio, nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi.* Probatur quoad secundam partem: quia electuaria, de quibus in presenti sermo est, sunt de genere ciborum, & suapte natura nutriunt corpus; ergo si in magna quantitate sumantur absque necessitate, jejunium frangunt.

107. Ex quo inferitur, quod jejunium minime solvit potus cervisæ, aloxiæ, limonata, aquæ sacharo mixtæ, & similibus, quia licet res, quæ aquis miscentur, habeant rationem cibi, infunduntur tamen in tam parva quantitate, & adeo liquantur, ut propriam naturam amittant. Cæterum si parum aquæ cum magna harum rerum copia misceretur, sine dubio jejunium frangeret, quia jam esset cibus, & alimentum, minime potus. Lac, jus, & similia jejunium solvunt: quia ordinantur ex se ad nutriendum.

108. Inq. 8. An potio chocolatica solvat jejunium, ita ut illicitum sit toties

quoties in jejunii diebus eam sumere? R. affirm. Quia chocolata modo, quo communiter sumitur, non ordinatur nec ex se, nec ex sumentium intentione ad sedandam sitim, sed famem pellendam, ut omnibus constat, ergo non solum est potus, sed etiam cibus, & consequenter pluries acceptus jejunium solvit. Hæc ratio adeo valida est, ac omnium experientia corroborata, ut oppositæ opinioni nullam probabilitatem relinquat.

109. Sed difficultas non levis est, quæ chocolata quantitas sit materia parva, quam justa existente causa, liceat absque peccato in die jejunii sumere? Theologorum nemo unius negat dari parvitatem materiæ in potu chocolata: sicut in aliis cibus. Pasqualigus docet, habendam esse pro parva materia octavam unciæ partem chocolatae, aut ad summum sextam partem, Antonius de Leon designat dimidiam unciæ chocolatae cum sacharo sufficienti, Card. Brancatius unius unciæ chocolatae quantitatem pro materiæ parvitate approbat. Idem permittunt jejuanti N. Salm. morales ex rationabili causa. Unde una unciæ chocolatae dissolutæ in aqua sine pane, nec alio cibo posse sumi ex causa rationabili pro materiæ parvitate arbitramur. Si prædicta unciæ sumatur divisa mane, & vespere ex rationabili causa, permitti valet, præsertim feminis ob earum debilitatem: dummodo bipartita sumptio prædictam unciam non excedat, nec aliquid ei addatur.

PUNCTUM VI.

De collatione serotina.

110. Inq. 1. Quæ quantitas in collatione serotina licite absque jejunii fractione sumi possit? R. Quod sicut ipsa collatio communi fidelium consuetudine introducta est a fine sæculi decimiquinti; ita ejus quantitas timoratorum consuetudine metienda est. Alii strictius, alii benignius circa illam decidunt; tamen pertingere ad quinque, aut sex unciæ cibi non esse contra legem jejunii censemus. Inspecta enim consuetudine communi dictam quantitatem pro collatione sumere tum ad somnum capiendum, tum ad vires aliquantum reficiendas necessarium videtur. Ne-

que hæc materia adeo stricte excipienda est, ut excessus unius, aut alterius bucellæ fractio gravis jejunii dicenda sit, cum non mathematicæ, sed prudentialiter juxta consuetudinem, non quidem laxorum, sed piorum hominum librari valeat, ac debeat. Igitur consuetudini, & usui communi piorum licite quisque stare valet. Quidquid in oppositum, quia prober, dicat Concina; si enim consuetudo potest tollere legem; potest facilius eam moderari, quoad aliquam partem; ut patet in ipsa collatione, quæ olim prorsus illicita erat; nunc vero ex communi consuetudine licita est. Igitur ubi adsit consuetudo sumendi duas, aut tres tantum uncias, ut vult Concina, servari debet; ubi autem fuerit consuetudo sumendi quinque, aut sex plus minusve, permitti potest.

111. Inq. 2. An in pervigilio Nativitatis liceat sumere majorem collationem, quam in aliis diebus? R. Posse sumi duplo, aut triplo quantitate majorem de fructibus, non vero de pane, quam in aliis collationibus; quia sic obtinuit consuetudo ab omnibus recepta saltem in Hispania, consentientibus Prælatibus Ecclesiæ. Idem dicunt aliqui, dum pervigilium Nativitatis incidit in sabbato, & Nativitas Christi Domini in feria 2. quia est verum pervigilium Nativitatis; qua die adest introducta consuetudo sumendi collationem ex fructibus, & aliis rebus ex sacharo confectis multo majorem, quam in aliis Ecclesiæ jejuniis; sicque fuisse responsum a Theologis utriusque universitatis Salmantinæ, & Complutensis. Quod verum putamus, ubi vere adsit talis consuetudo; ratio enim id non convincit, quia tunc licet sabbatum sit verum pervigilium Nativitatis, quoad jejunium; non vero quoad officium, & solemnitatem; & lætitiã, ob quæ præfata consuetudo rationabilior existit in ipsa nocte Nativitatis, quam in sabbato præcedenti. Igitur non tam ex ratione, quam ex consuetudine pendet resolutio hujus dubii. Apud nos quandoque unum, quandoque aliud fieri vidi juxta diversitatem Prælatorum; ac eorum sententiam; mea autem est non debere fieri, quia nec ratio, nec constans ad id adest consuetudo.

112. Inq. 3. Qui cibi possunt in collatione sumi? R. Sumi posse panem, poma,

arborum fructus, amigdalas, uvas, oleas, nuces, herbas crudas, vel coctas, insalata, dulciaria, & his similia. Sic obtinuit communis consuetudo. Sed non possunt pro collatione sumi legumina cocta, vulgo *potage*; nec oriza, quia consuetudo est in contrarium. Nec similiter pisciculi parvi, ostræ, cammaries, halecia, & multo minus ova, & lacticina. Consuetudo a quibusdam prætensumendi de piscibus parvis, aut magnis, & lacticiis, tamquam corruptela debet eliminari. Doctissimus, ac V. Palafox de facultibus collationem ultra mensuram, aut normam timoratorum dicebat: *Væ vobis miseris! qui nec cœnatis, nec jejunatis.*

113. Inq. 4. An licitum sit primo mane, vel meridie sumere collationem, prandio dilato in noctem? R. Illicitum esse absque justa causa id efficere; quia non licet ordinem ab Ecclesia, sive lege, sive consuetudine statutum, & firmatum pervertere. Interveniens vero justa causa v. g. negotii urgentis, studii, concionis, itineris, aut debilitatis licitum erit: quia si justa causa a jejunii observantia excusare valet, multo magis ab illius circumstantia, qualis est hora determinata vescendi. Qui sine ulla causa, sive mane, sive meridie sumeret collationem, ut sero cœnaret, venialiter tantum peccaret: quia contra circumstantiam consuetudine inveciam, non contra substantiam, vel finem jejunii ecclesiastici ageret; qui jejunare nequit, nisi mane collationem sumendo, debet hoc modo jejunare: quia moralia præcepta morali modo sunt interpretanda, & modo congruentiori exequenda. In vigilia Nativitatis si collatio faciendã est mane, vel meridie, ea quantitas sumenda est, quæ in aliis diebus jejunii: quia consuetudo plus sumendi solum est pro nocte vigiliæ Nativitatis. Ex quo roboratur, quod quando ad sabbatum præcedens anticipatur dicta collatio, non adest ratio, cur major quantitas sumi valeat. Si enim anticipata ad meridiem in ipso pervigilio nequit augeri ejus quantitas, etiam juxta paternos alterius sententiæ; non apparet ratio, cur augeri possit, quando anticipatur ad sabbatum præcedens.

PUNCTUM VII.

De hora refectionis in die jejunii destinata.

114. Inq. 1. An circa horam solvendi jejunii observari debeat tempus determinatum? R. affirm. Hoc enim tempus antiquitus erat ad Solis occasum, postea hora nona, hoc est, hora tertia post meridiem; ut colligitur ex cap. *Solent plures, de cons. D. 1.* At nunc ex communi Ecclesiæ consuetudine, ob hominum imbecillitatem, in meridie, aut circa meridiem, etiam in quadragesima, jejunium solvitur, cui consuetudini standum est. Hæc autem hora non secundum subtilem examinationem (Inquit D. Thom.) sed secundum grossam estimationem computanda est. Unde qui prope meridiem prandit, non violat jejunium, supposito quod notabiliter, ut plusquam per unam horam non antevertat prandium sine causa.

115. Inq. 2. An anticipare sine causa notabiliter ut per duas horas, aut amplius ante meridiem prandium in die jejunii sit grave peccatum? R. affirm. Ita D. Thom. in 4. dist. 15. q. 3. art. 4. q. 3. dicens: *cum Ecclesia instituerit certum tempus comedendi jejunantibus, qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit.*

116. Objic. Tempore D. Thom. hora prandii erat quid pertinens ad substantiam jejunii: nunc vero est quid accidentale, cum ex consuetudine Ecclesiæ variata sit hora comedendi, ergo illius transgressio non est gravis. R. quod licet hora prandii sit diversa nunc, ac antea, hoc solum probat, posse fieri nunc in meridie, quod tunc fiebat in vespere. Igitur si tunc anticipatio notabilis erat transgressio gravis, non adest ratio solida, cur nunc non sit similiter gravis. Variatio enim solum stat in eo, quod olim in jejniis comestio permittebatur in vespere; nunc autem in meridie, unde etiam dispensatis ad carnes præscribitur servanda prandii hora a Benedict. XIV. ut ex supradictis patet. Ex causa autem necessitatis, vel gravis incommodi vitandi licere dictam anticipationem omnes concedunt.

PUNCTUM VIII.

De diebus jejunii, & abstinentiæ a carnibus.

117. Inq. 1. Quibus diebus obligat præceptum jejunii ecclesiastici? R. In primis tenentur fideles jejunare tota integra quadragesima, quæ incipit feria 4. cinerum, & desinit nunc sabbato sancto ex cap. *Quadragesima, de consecrat. distinction. 1.* ubi dicitur: *Per triginta, & sex dies affligimur, quasi anni decimas Deo damus. Sed quotuor dies prioris hebdomadæ tolluntur... ut sacer numerus quadraginta dierum adimpleatur, quem Salvator noster suo sacro jejunio consecravit.* Mediolani incipit jejunium post primam Dominicam quadragesimæ, exceptis regularibus, qui a die cinerum incipiunt jejunare.

118. Item in omnibus vigiliis Apostolorum jejunandum est, exceptis vigiliis SS. Philippi, & Jacobi, ac Joannis Evangelistæ. Si aliquod Apostolorum festum feria 2. celebrari contingat, sabbato præcedenti jejunandum est. Constat ex Innocent. III. cap. *Consilium.* Vigilia S. Mattheæ, & si venerit in feria 3. carnis privii jejunandum est, nec potest tale jejunium anticipari ex decreto sac. congregat. die 23. Januarii 1694. vidimus tamen Ordinariorum non semel illud anticipasse ad vitandum fractionis periculum. Tertio loco præcipitur jejunium in vigiliis Nativitatis Christi Domini, & assumptionis B. Virginis Mariæ ex cap. *Ex parte.* Nullaque alia vigilia B. Virginis Mariæ ad jejunium obstringit, secuso voto, aut peculiari statuto.

119. Quarto præcipitur observari jejunium quatuor temporum: nempe feria 4. feria 6. & sabbato post festum S. Crucis Septembris, post festum S. Lucie, post diem cinerum, & post festum Pentecostes. Constat ex cap. *Jejunium, dist. 76. & cap. Statuimus, eadem dist.* Quæ utique jejuniorum tempora, & dies, ne memoria excidant, comprehendit Urbanus II. his verbis:

*Vult Crux, & Lucia, Cinis, & Chorisinata dia,
Ut jejunetur quarta sequens feria.*

120. Quinto loco adest jejunium in vigilia Pentecostes, non vi Juris canonici, sed vi receptæ, & universalis consuetudinis, quæ graviter obligat. Tandem sub mortali jejunandum est in vigiliis S. Joann. Baptistæ, S. Laurentii, festivitatis omnium sanctorum pariter ex universali fidelium consuetudine. Observandum tamen est, quod si vigilia S. Joannis Baptistæ incidat in festum Corporis Christi, tunc feria 4. anticipandum est jejunium. Ex Bulla Urb. VIII. quæ incipit: *Cum evenire*, data 13. Octob. 1638. Hæc sunt jejunia ab universa Ecclesia sub mortali observanda. Si quæ alia olim in usu erant, in desuetudinem abierunt, & minime totam Ecclesiam obligant.

121. Inq. 2. Quando ex præcepto Ecclesie, aut consuetudine sola abstinencia a carnibus obligat? R. 1. In triduo rogationum ante Domini Ascensionem servandam tantum esse abstinenciam a carnibus. Constat in cap. *Rogationes de consecrat. dist. 3.* ubi hæc habentur: *Quo triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis utantur.* Et licet in præfato capite videatur sub præcepto indici jejunium: tamen, ut ubi observat glosa, non præcipitur, sed suadetur. Nihilominus consuetudo Provincie sequenda est, quæ pro diversitate Provinciarum variatur. In aliquibus his tribus diebus jejunatur, in aliis solum a carnibus abstinetur, in aliis solum feria 2. & 4. est abstinencia, in aliis his diebus carnibus vescitur. Quare quisque suæ patriæ morem observare debet.

122. R. 2. Diebus sabbati, & veneris obligat abstinencia. De sabbato tamen in Hispania varia fuit consuetudo. Verum hodie licitum est vesci carnibus in Regnis Castellæ, Legionis, & novæ Hispaniæ ex concessione Benedict. XIV. die 20. Jan. 1745. Denique in Navarra, & Aragonia ex indulto Pii VI. die 9. Feb. 1779. in *Junctes, & exortantes, ait Pontifex, omnibus, & singulis, quibus indulgentia hujusmodi permittitur, ut eam aliis Christianæ pietatis operibus compensare sategant.* Quilibet potest licite vesci carnibus die Natalis Domini, esto incidat in feria 6. exceptis, qui voto aut regulari observantia ad abstinenciam tenentur. Const. expressè in cap. *Explicari. de observantia jejuniorum.*

123. Inq. 3. Qua hora incipiat, & finitur obligatio jejunii, & abstinencia? R. Obligationem jejunii ecclesiastici, & abstinenciae a puncto mediæ noctis incipere, & finire eodem puncto mediæ noctis sequens: quia jejunium ecclesiasticum, sicut & abstinencia a carnibus observari præcipitur profintero die; sed dies incipit ab una mediâ nocte, & terminatur ad alteram mediâ noctem sequentem: ergo etiam obligatio. Punctum sive inceptions, sive terminationis mediæ noctis, ubi horologium non est, nequit computari mathematicè, sed moraliter juxta communem incolarum existimationem. Cæterum ubi est horologium, illius indicationi mathematicè standum est, nisi clare per diem innotuerit a solis cursu discordare.

124. Inq. 4. An dubitans num duodecima hora noctis audita sit, vel sit mediâ nox, possit comedere, aut cenare? R. Sive hodie sit præceptum jejunandi, sive crastina die, si dubitas de adventu mediæ noctis, in utroque casu proposito abstinere debes a cœna, donec dubitatio deponatur: quia te exponis periculo proximo frangendi jejunium: & in dubiis tutior pars est eligenda. Idem dicimus de abstinencia a carnibus, quando die jovis, aut sabbati dubitatur; num sit mediâ nox: debes enim abstinere propter eandem rationem.

125. Inq. 5. An si quis dum cenat, audiat pulsum horologii designantis mediâ noctem, debeat desistere a cœna, si die sequenti jejunare teneatur? R. affirm. Quia, ut diximus, a puncto mediæ noctis incipit obligatio jejunii, ergo etiam incipit prohibitio edendi bis indicto die: ergo qui jejunare vult, a cœna debet desistere. Certum enim est, quod primus pulsus ille est, qui significat mediâ noctem, & indicat horam esse jam completam. Nec in tempore abstinendi a carnibus, aut cœnæ prosecutione dictis in casibus datur parvitas materiæ, quidquid dicant alii.

PUNCTUM IX.

Qui teneantur ad jejunii præceptum.

126. Inq. 1. Qua ætate incipiat obligare fideles jejunium ecclesiasticum? R. Omnes utriusque sexus fideles expleto vigesimo primo anno teneri observare omnia jejunia

jejunia ecclesiastica: Sic D. Thom. art. 4. ad 2. his verbis: *Et ideo quando sunt (pueri) in statu augmenti, quod est (ut in pluribus) usque ad finem tertii septennii, non tenentur ad ecclesiastica jejunia observanda. Conveniens tamen est, ut etiam in hoc tempore se ad jejunandum exercent plus, vel minus, secundum modum suæ ætatis.* Constat etiam ex generali, & ab omnibus Doctoribus recepta Ecclesie consuetudine, quæ sic tenet. Unde a die, & hora quibus impletus fuit vigesimus primus annus, tenetur quis jejunare: quia ex illo puncto incipit esse sub lege jejunii. Ad abstinenciam a carnibus, & lacticiis tenentur pueri statim, ac sunt docti capaces, quod communiter, septennio expleto, accidit.

127. Sed notandum 1. Quod pueri postunt, maxime decimo quarto ætatis suæ anno, ad jejunium obligari ex voto, penitencia, & quando a Prelatis ob maximam necessitatem jejunia indicuntur. Quod D. Thomas loco citato his verbis expressit: *Quandoque tamen magna tribulatio imminente, in signum penitentiæ arctioris etiam pueris jejunia indicuntur, sicut etiam de jumentis legitur Jonæ 3.* Nota 2. aliquando etiam de jure naturali teneri homines ad aliquam abstinenciam, ut si per alia mediâ non possunt tentationibus resistere. Nota 3. quod adolescentes ante vigesimum primum annum non tenentur ad jejunia votiva reipublicæ, seu synodi: quia si ob defectum ætatis præcepto Ecclesie non ligantur, quod est majus, & universalius; potiori titulo eximendi sunt a præcepto, seu particulari voto. Nota 4. quod regulares, etsi annum vigesimum primum non expleverint, tenentur ad jejunia suæ religionis ex vi voti, quod emiserunt conformandi vitam suam ad regulæ præscriptum, quam professi sunt. Unde tenentur servare jejunia, quæ regula præcipit sub ea culpa, quam ipsa imponit.

128. Inq. 2. An dubitans num annum vigesimum primum expleverit, teneatur jejunare? R. affirm. Quia tunc valet illud verissimum, & universale principium: *quod in dubiis tutior pars est eligenda.* Tum quia exponitur periculo violandi jejunii præceptum, si tale annum implevit.

129. Inq. 3. An viatores, peregrini, & vagi teneantur observare jejunia locorum,

in quibus versantur? R. affirm. Sic D. Ambros. in responsione ad Aug. *Cum Roman venio, jejunio sabbato. Cum hic sum, non jejunio: sic etiam tu, ad quamcumque Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.* De qua responsione inquit D. Aug. *Ego vero de hac sententia etiam atque etiam cogitans, ita semper habui, tamquam cum cœlesti oraculo susceperim.* Quæ omnia habentur in cap. *Quæ contra. dist. 8. & cap. Illa. dist. 12.* Unde emanavit illud effatum: *Cum fueris Romæ, Romano-vivo more: cum fueris alibi, vivito sicut ibi.* Idem dicendum de abstinencia a carnibus, & aliis cibis vetitis. Qui votum emisit jejunandi omnibus feris sextis, tenetur jejunare etiam si in aliqua incidat dies Natalis Domini. constat ex cap. *Explicari de observ. jejun.*

PUNCTUM X.

De iis, qui cooperantur jejunii violationi.

130. Inq. 1. An, qui invitat alium ad cœnandum in die jejunii, graviter peccet? R. affirm. & ratio est, quoniam invitare ad actum malum peccatum est; sed violare jejunium est actus malus, ergo qui ad cœnandum invitat, in hoc casu peccat. Ulterius, qui sic invitat ad cœnandum, præbet alteri occasionem transgrediendi præceptum, & consequenter peccandi, ergo manifestum est hujusmodi invitantem peccare.

131. Inq. 3. An liceat tabernariis, & cauponibus in diebus jejunii sponte cœnam ministrare hospitibus? R. Si caupones certo credant hospites jejunii lege teneri, minime possunt sponte cœnam illis ministrare, etiam si illam petant, ratio est, quoniam ex lege caritatis tenemur cavere, quantum fieri potest, & in nobis, & in aliis, tum divinæ majestatis offensam, tum perniciem spirituales proximis, cui obligationi adversatur hæc spontanea ministratio cœnæ, ut ex se patet, ergo illicita, & peccaminosa est. Cæterum si caupones credant certo, vel probabiliter hospites non teneri lege jejunii, possunt cœnam sponte illis ministrare, & maxime si petant: quia de proximo, non quod detur,

terius, sed quod melius est, præsumere debemus. Si dubium sit, num hospites teneantur nec ne ad jejuniu, debent dubium deponere, vel eos modeste interrogare. Si autem hospites jejurent, nequeant caupones exigere expensas respondentes caræ, sed collationi: quia injustum est exigere ab alio, quod nec accepit, nec petivit, nec consumpsit.

132. Ex quibus inferitur, grauius peccare caupones, qui diebus prohibitis carnes sponte hospitibus ministrant: quia hac via ipsos pertrahunt ad peccandum, nisi adsit necessitas, vel privilegium. Similiter peccabunt, si his diebus hospitibus carnes postulantiibus ministrant, quando certo, vel probabilius teneantur: quia nunquam licitum est in aliorum peccatum libere consentire. Si vero nesciant, vel dubitent, præsumendum est eos licentiam, vel necessitatem ad comedendas carnes habere.

133. An peccent grauius famuli, & famulæ diebus prohibitis carnes suis dominis ministrantes, quando certo sciunt nullam eos necessitatem habere, & reuera peccare carnes illas comedendo? R. affirm. Quia cooperantur ad actum malum. Cæterum famuli præsumere debent, nisi oppositum pro certo habeant, dominos suos ob justam necessitatem carnes apponere. & hac ratione possunt carnes apponere. & mensam præparare, illis inserviando. Aliter autem grauius peccant.

PUNCTUM XI.

De causis excusantibus a jejuniu.

134. Inq. Quot sint causæ excusantes a jejuniu? R. Quatuor, scilicet: *inopotentia, labor, pietas, & dispensatio*, de quibus agemus sequentibus §§.

§. I.

De inopotentia.

135. Inq. 1. Quæ inopotentia excuset a jejuniu? R. Quod inopotentia physica, aut moralis, hoc est, quando fieri nequit absque notabili detrimento, quia leges nec impossibilia iubent, neque cum notabili de-

trimento obligant. Unde excusantur 1. infirmi, v. g. tertianarii, & qui aliam quamcumque febrem patiuntur, convalescentes, valetudinarii, & similes, non solum a jejuniis, verum etiam ab abstinentia carniu, quia utraque abstinentia petit sufficientes vires, quibus infirmi carent. Si infirmitas non ita certa, vel grauis sit, consulatur medicus, aut Superior, vel Confessarius, quorum iudicio standum est. Excusantur 2. qui vacuo stomacho vertiginem capitis vere patiuntur: quia cum tanto incommodo Ecclesia obligare ad jejuniu non intendit. 3. Excusantur a jejuniu prægnantes, & lactantes: quia plurimo, & frequenti indigent alimento sibi, & infanti necessario; sed non excusantur a carniu abstinentia, nisi aliqua causa subsit, quæ medico, & confessario sufficiens videatur. 4. Excusantur a jejuniu, qui taliter paupertate præmuntur, quod unam sufficientem refectioem parare non valeant. Quapropter ostiatim mendicantes quandoque a jejuniu excusantur, nisi sint ex illis, qui plures aureos servatos secum habent, vel sufficientem refectioem parare possunt: hi enim ad jejuniu tenentur. 5. Excusantur a jejuniu, qui solum habent ad vescendum panem, fructus, cæpas, & alia huiusmodi, etsi hæc soleant tantum comedere: quia prædicti cibi ex se non sunt sufficientes ad unicam refectioem, qua jejunii labor ferri, maxime pluribus diebus, possit.

136. Inq. 2. An sexagenarii sint a jejuniu exempti? R. neg. Quia si robusti sunt, nulla est ratio, quæ eos a jejuniu exoneret. Unde Navarrus octogenarius, & Pontas post octoginta, & septem ætatis annos testantur, se jejunia Ecclesia observasse. Hæc etiam scribes licet septuagenarius debilis, & ægra valetudine, potest de se vere testari, quod observat jejunia, non solum Ecclesie, sed & religionis sine ulla dispensatione. Deo gloria. Idem dicendum est de foeminis quinquagenariis, & sexagenariis, de virginibus, quæ jejunando dicunt formam perdere, & de nuptis, quæ ob hoc reddere debitum non posse; hoc enim rediculum, & fictitium est: maxime dum illis diebus continentie vacandum hortantur SS. Patres. Nec similiter a jejuniu excusantur, qui duo cauteria, vulgo *fuentes* habent: quia hæc non

non debilitant, sed potius per ea humores maligni purgantur, & sine violentia exoneratur natura a superfluis. Denique a fortiori religiosi, aut religiosæ sexagenarii tenentur ad jejunia regulæ, nisi alia causa præter ætatem eos a lege liberet; quia si ante vigesimum primu annum ad jejunia regulæ, ut diximus, tenentur, etiam tenentur post sexagesimum: maxime inter nos, ubi promissio observationis regulæ fit *sine mitigatione usque ad mortem*.

§. II.

De labore corporali.

137. Inq. 1. An omnes officiales reipublicæ excusentur a jejuniu ratione laboris? R. negative: Constat ex proposit. 30. damnata ab Alexand. VII. *Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit incompatibilis cum jejuniu*. Unde solum illi excusantur a jejuniu, qui exercent artes laboriosas. Huiusmodi sunt agricola, fabri ferrarii, lignarii, lapidicæ, cæmentarii, figuli, textores, fullones, lanarii, bajuli, aurigæ, & alii similes, qui exercent artes vere laboriosas. Cæterum pectores, molitores, furnarii, argentarii, typographi, scultores, sutores, & coqui solum deobligantur, quando in materia valde laboriosa exercentur, æcus autem, quando non ita est. Verum in hac materia cum artificibus, qui ob necessitatem alendæ familiæ laborant, benignus, & facilis debet esse Confessarius, sive Superior. Sartores, pictores, & barbitonsores a jejuniu ex vi officii nullo modo excusantur: quia eorum artes non sunt multum laboriosæ.

138. Inq. 2. An, qui equitando iter unius diei conficit, sit a jejuniu excusatus? R. neg. constat ex proposit. 31. damnata ab Alex. VII. *excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit; & etiam si iter unius diei conficiant*. Hæc propositio plura continet falsa: nam in primis *omnes* est nimis universalis, ut ex se patet. Deinde unius diei iter, si necessarium non sit, differri debet ad alium diem, alias jejuniu obligat. Denique unius diei iter equitando non

Tom. II.

tantum fatigat, ut a jejuniu deobliget. Non tamen damnatur asserere posse excusari a jejuniu illos, qui per plures dies continuos adstringuntur iter agere equitando; neque posse dari casum, in quo equitans ex necessitate uno die excusetur a jejuniu, si iter sit adeo laboriosum, aut ipse tam debilis, ut sine gravi detrimento, aut notabili defatigatione peragi nequeat. Sed quia regulariter per unum, aut plures dies equitare non est causa sufficiens ad non jejunandum, ideo propositio universalis merito proscribitur est; pedester iter agentes ex justa causa per majorem diei partem, & cursores excusantur a jejuniu, quia est labor notabiliter fatigans.

139. Procuratores, advocati, iudices, musici, cantores, consiliarii, scribæ, Principumque secretarii a jejuniu non excusantur, quia licet aliquam mentis attentionem eorum opera requirant, tamen labor satis debilis est, & cum jejuniu compatibilis. Idem dicendum est de magistris, lectoribus, scholasticis propter eandem rationem. Satis foret lectores, magistros, & discipulos omittere studia, quam sancta jejunia. Milites eo præcise quod sint milites, non sunt excusati a jejuniu, non enim semper habent laborem incompatibilem cum eo. Circumstantiæ igitur personarum, loci, temporis, victus, occupationis, & laboris inspiciendæ sunt, & juxta eas decidendum. De militibus Hispaniæ mox erit sermo.

§. III.

Causa pietatis.

140. Tertia causa, ob quam fideles a jejuniu excusantur, est pietas, illi ergo qui opera pietatis, caritatis, vel misericordie, aut religionis, sive corporalia, sive spiritualia sint, exercere debent, & non possunt simul cum præfatis operibus jejunare, ad jejuniu non tenentur, quia præceptum jejunii, seu abstinentiæ nequit obligare, quando est impeditiuum majoris boni; sed majus bonum est exercere opera caritatis, & misericordie, quam abstinentiæ, ergo in illo casu non obligat præceptum jejunii, vel abstinentiæ.

141. Difficultas est, an excusentur a jejuniu, qui talia opera faciunt, non ex ne-

Yy

ces-

cessitate, officio, aut obedientia; sed etiam libere, & ex propria voluntate? R. Hujusmodi opera excusare a jejunio, quoties cum jejunio conjungi non possunt, sive ex officio, obedientia; aut necessitate fiant, sive ex propria voluntate. In hanc sententiam propendit D. Thom. in 4. dist. 15. q. 3. a. 1. *questiunc. 2. ad. 3. his verbis: Si enim sit tanta abstinencia, quod homo ab operibus utilioribus impediatur, quamvis ad ea necessitate non teneatur, indiscretum est jejunium, et si non sit illud. Quod intelligi debet, dummodo talia opera in fraudem jejunii non peragantur, alias contra præceptum jejunii ageretur.*

142. Ex quo inferitur 1. Excusari a jejunio, qui pluribus infirmis inserviant in hospitalibus, & monasteriis, & qui per totam noctem vigilantes eisdem operem ferunt. Quia hæc non parvum laborem secum afferunt. Inferitur 2. Neminem posse in die jejunii incipere peregrinationem voluntariam; aut iter non necessarium incompatibile cum jejunio. Verum si peregrinatio sit jam incæpta, vel si differri non valet sine detrimento notabili, nec compati cum jejunio, hoc in tali casu non obligat: quia non videtur fuisse intentio Ecclesie statuentis jejunia, ut per hoc impediret alias pias, & magis necessarias causas; inquit D. Thom. 2. 2. q. 147. a. 4. ad 3. Concionatores, qui singulis diebus conciones ad populum habeat, de obligati sunt a jejunio, quia maximus labor est; non vero illi, qui ter, aut quater in hebdomada concionantur, nisi notabilem stomachi debilitatem patiantur.

§. IV.

De dispensatione.

143. Inq. 1. Quis possit dispensare a jejunio Ecclesie? R. Pontificem pro tota Ecclesia, licite cum causa, valide etiam sine causa: quia Pontifex utpote Ecclesie caput potestatem habet dispensandi in lege humana ecclesiastica, quoties necessitas, vel Ecclesie utilitas id exigit. Peccaret tamen dispensando sine causa juxta qualitatem dispensationis: similiter Episcopus in jejunio dispensare cum suis subditis ex justa causa valet; hoc enim

illi competit ratione sui officii, & optimum regimen id ipsum exoptulat, nam posuit Dominus Episcopus regere Ecclesiam Dei.

144. Parochi etiam jure consuetudinibus dispensare ob justam causam possunt in jejunio suos Parochianos, non reuente Episcopo: quia experientia teste, id dicitur ex consuetudine invecutum, sed videatur, an revera adsit consuetudo; aliter quippe non gaudet Parochus dicta facultate. Confessarius, & medicus non habent potestatem dispensandi in jejunio, sed solum quandoque possunt declarare in dubio poenitentis legem non obligare in tali casu; vel quod infirmitas, vel debilitas notabile nocumentum afferat, nisi jejunium solvatur.

145. Prælati regulares justa interveniente causa dispensare in jejunio possunt cum suis subditis; tum quia sicut veri eorum Prælati, jurisdictionem spiritualem ordinariam in subditos habentes: tum quia idem possunt Prælati regulares cum suis subditis, quod Episcopi in sua Diocesi; cum eadem sit utriusque ratio: ut scilicet subditis in omnibus necessariis bene provisum sit. Prælati regulares sunt Generales, Provinciales, Rectores, Priors, Abbates, Guardiani, & eorum Vicarii in illorum absentia. Hi omnes in sua respectiva communitate dispensare ob justam causam possunt in jejunio, sive a regula, sive ab Ecclesie præcepto, & in abstinencia a carnibus; & sicut cum aliis, ita quoque cum semetipsis dispensare valent: quia hæc jurisdictio voluntaria est, quæ in seipsum exerceri potest. Abbatissæ, seu Priorissæ licet in jejunio cum monialibus proprie dispensare non possint, cum sint incapaces jurisdictionis spiritualis; possunt tamen declarare, quando moniales teneantur, vel non ad jejunium, vel habeant saltem causam dispensationis, & tunc superior, vel religio est, quæ, tali declaratione supposita, dispensat; alias non provideretur in necessariis monialibus.

146. Inq. 2. Qualis causa requiratur ad licitam, & validam dispensationem? R. Quando infirmitas, vel debilitas evidens est, non requiritur dispensatio, quia certo eximit a lege. Qui dubitat, consulat Confessarium, vel medicum, vel alium virum

rum probum, ac peritum; si isti causam esse certam affirmant, non tenetur ad jejunium; si dubium asserant, Superiorem, vel Parochum adeant, qui simul cum aliqua commutatione dispensationem tribuat. Sed notandum, quod diversa requiritur causa ad dispensandum in abstinencia carnium, quam in jejunio. In lacticiis causa non multum gravis sufficit. Similiter quando quis in quadragesima dispensatus est in abstinencia a carnibus absolute, non censetur dispensatus in feriis sextis, nec in quatuor temporibus, nisi expresse id dictum fuerit a dispensatore juxta superius dicta.

147. Possunt etiam Episcopi, vel Prælati dispensare in jejunio cum toto populo, & communitate, si adsit aliqua justa causa urgens, & generalis, ut pestis, famis, bellum, vel aliquid simile: at Parochi non possunt, sed debent pro tali dispensatione ad Episcopum recurrere. Possunt tandem Episcopi jejunium allicuius vigilia, quando in ea magnum festum incidit, in alium diem transferre; nisi sit jejunium quatuor temporum, quia hæc numquam ab Ecclesia translata sunt; nec vigilia sancti Matthie dum in carnisprivio venerit, hæc omnia Benedictus XIV. in Bulla: *Prodit jam dudum*; data Romæ 30. Januarii 1751.

PUNCTUM XII.

De militibus Hispaniæ circa jejunium, & abstinenciam a carnibus.

148. Inq. 1. An milites Hispaniæ aliquo gaudeant Privilegio vescendi carnibus, non jejunandi, picesque promiscuandi cum carnibus, diebus alias prohibitis? R. affirm. ad sunt enim certa privilegia a sede Apostolica emanata, quibus prædictæ leges certis diebus relaxantur respectu militum Regis catholici. Primum Innocent. X. Datum 22. Maii 1645. *Ut securitati consistentiæ*. Deinde Clem. XII. duo expedit Brevia, quæ Bened. XIV. confirmavit. Postea Clem. XIII. eadem privilegia confirmavit in Bulla data ad septennium die 10. Martii 1762. Novissime Pius VI. in Bulla quæ incipit: *Cum in exercitiis*, data die 25. Januarii 1783. ultra confirmationem antecedentium gratiarum, Cappell-

lano majori exercituum Regis catholici concessit diversas facultates pro regimine subditorum castrensi, & declaratione literarum Apostolicarum; pro quarum usu Eminentissimi Cardinales Vicarii Delgado, & Sentmanat in suis respectivis edictis sic in lingua vulgari loquuti sunt.

149. "N. Santissimo Padre Pio VI. (ait Em. Delgado) Nos hæc concedido facultad para dispensar la obligacion de ayunar, No á todos, sino á algunos de nuestros subditos, y á estos no todos los ayunos, sino los que no están exceptuados en sus letras: *Cum in exercitiis*, en las quales se manda, que todos los soldados de S. M. ayunen en los dias de ayuno, en que no puedan comer carne, que son todos los viernes, y sabados de quaresma, y los 6. dias de semana santa, en los quales deben los Soldados ayunar, y abstenerse de carnes, del mismo modo que los demás Christianos, exceptuando el uso de lacticiis, que les es lícito, aun en estos dias; y exceptuando tambien el tiempo de guerra, en que podemos dispensar, y les dispensamos el precepto del ayuno, y abstinencia de carnes en los referidos dias. No podemos dispensar el precepto del ayuno con todos nuestros, subditos, porque en las citadas letras Pontificias se declaró expresamente, que los familiares, y comensales de los militares (en cuya palabra se comprenden sus mugeres) aunque usando de la licencia que les haya concedido el Vicario general de los Exercitos coman carne en los mismos dias de ayuno, en que la comen sus amos, con todo eso deberán, y estarán obligados á guardar las demas leyes del ayuno; pero exceptuando á los dichos familiares, y comensales, dispensamos el precepto del ayuno en todo el año, menos los viernes, y sabados de quaresma, y semana santa, á todos, y solos los que en virtud de la declaracion antecedente, pueden comer carne en los dias de ayuno, y á estos mismos, y no á otro alguno, concedemos facultad, en uso de las que nos dá el mencionado Breve, para que en los dias en que se les dispense el ayuno puedan mezclar carne, y pescado en una misma comida; lo que tampoco se estiende á sus familiares, y comensales,

los cuales aunque coman de carne, deben ayunar, sin mezclar carne, y pescado. Declaramos igualmente que en los viernes, y sabados de quaresma, y toda la semana santa, en que los soldados deben ayunar sin comer carne, no pueden mezclarla con pescado, aunque la coman por alguna indisposicion corporal &c. = Dado en el Real Sitio del Pardo á 3. de Febrero de 1779. = Cardenal Patriarcha.

150. Inq. 2. an dictum privilegium extendatur ad essum carniū in Dominica palmarum? R. negative, quia predictæ declarationes excludunt totam majorem hebdomadam, sed æque integratur ex dominica palmarum, ac aliis sex diebus, ergo sicut in extra privilegium existunt, ita palmarum dominica, ac proinde illicitum erit Militibus tali die carnes comedere, & promiscuare; licitum vero lactinia edere.

151. Inq. 3. An omnes Milites & ubique terrarum gaudeant hujusmodi privilegiis? R. Supralaudatum Eminent. Patriarcha. adamasim hæc omnia; (ubi supra) ita declarat: "Declaramos, que ni hemos dispensado, ni dispensamos el precepto de abstinencia de lactinios, y carnes en ciertos dias con todos los que son de nuestra jurisdiccion, sino con aquellos, en quienes concurren las enunciadas causas; y no concurriendo en nuestro Auditor General, Secretario del Vicario general, ni en sus oficiales, en nuestros subdelegados Fiscales, Notarios, y demás que componen sus respectivos Tribunales, ni en los Secretarios, Auditores de guerra, Asesores de las Capitanias generales, Gobiernos militares, quedan excluidos de dicha gracia, y obligados á observar la abstinencia de lactinios, y carnes en todos los dias de ayuno, y abstinencia. Tampoco se pueden verificar los expresados motivos en los que con toda comodidad, quietud, y conveniencia, y sin riesgo, ni peligros sirven las Intendencias de marina, y de exercito, Tesorerias, Comisarias, Oficinas, Tribunales hijos de la Corte, y fuera de ella; por lo que revocando qualquiera dispensa, que anteriormente se haya concedido, declaramos, que no pueden gozar de la gracia de comer lacti-

cinios, y carnes en los dias, en que la Iglesia prohibe su uso, los Oficiales de la secretaría del despacho universal de guerra, y marina, los Intendentes de exercito, y marina, los Comisarios ordenadores, y de guerra, Contadores, tesoreros, ni oficiales de esta oficina. Tampoco están comprendidos en dicha gracia los que no son de nuestra jurisdiccion, aunque concurren en ellos iguales razones, como sucede en los regimientos hijos de Orán, y Zeuta, y los de qualquiera otra parte, donde no haya, porque no podemos estender esta, ni las demas gracia. Y á consecuencia quedan excluidos de todas las concedidas á los militares, las milicias Provinciales de estos Reynos, de los del Perú, y Mexico, é Islas de Canaria, inclusa su plana mayor, aun en tiempo de sus asambleas, los matriculados para la marina, quando no estan abordo, los inhabiles retirados del servicio, las viudas de los militares, los criados de ellos que reciben la racion en dinero, los conductores de la tropa en sus marchas, y viajes, los asentistas, ó proveedores del exercito, y administradores de los hospicios."

152. "Gozan pues del privilegio de comer lactinios, y carnes en dias prohibidos, exceptuando en quanto á las carnes los viernes, y sabados de quaresma, y toda la semana santa, todos los que militan baxo de las vanderas Reales por mar, ó por tierra, y gozan de sueldo militar de tropa viva, á cuya clase pertenecen los Capitanes generales, Tenientes generales, Mariscales de campo, Brigadieres, Coroneles, Tenientes Coronales, Sargentos mayores, Capitanes, Tenientes, Alfereces, Soldados, Musicos de la tropa, la plana mayor de las plazas, y castillos. Y para que este privilegio no les sea gravoso, se extiende la gracia de comer lactinios, y carnes (y aun promiscuar segun la declaracion de Sentmanat) á los familiares, y comensales de los militares, esto es, á la muger, hijos, y parientes, que viven en la casa del militar, y comen de su mesa, y á los sirvientes que juntamente son comensales, lo que no se verifica ni en los dichos criados, que reciben la racion en dinero, ni en los huéspedes del mili-

tar,

tar, ni en los que labran sus tierras, ni en los que van á trabajar algunos dias á su casa, aunque en ellos coman de su mesa, ni en los mozos de mulas, cocheros, caleseros, carreteros alquilados para los viajes de los militares, aunque á estos les den de comer: todos los cuales asi como no son de nuestra Jurisdiccion, asi tampoco pueden gozar gracia alguna de las concedidas á la tropa."

153. "Gozan tambien del mencionado privilegio los Milicianos, quando forman exercito, ó son enviados á alguna expedicion, las quarenta y seis compañías de invalidos habiles, que hacen cuerpo, y algun servicio, las tropas auxiliares, los conductores de bagajes, viveres, y municiones, quando en las expediciones de guerra siguen, y sirven al exercito, y los capellanes de los regimientos. Y esta declaracion que hacemos sobre este punto tan importante, queremos, y mandamos se observe, sin embargo de todas las declaraciones precedentes, que anulamos, y revocamos en quanto se opongan á esta nuestra" &c. Hac omnia Eminentissimus Patriarcha Delgado, ex quibus constat, que sunt persone privilegiate in hac materia, que vero exclusæ. Ex Brevi autem Clementis XII. in fertur, milites Hispaniarum, copiasque auxiliares etiam præsui tali privilegio, & si contingat extra Hispaniarum fines proficisci; dicitur enim ibi: *ubicumque eos declinare contingerit. Hoc enim privilegium reale simul, & personale est. Personale autem privilegium personam sequitur, ubicumque illa sit.*

154. Em. autem Patriarcha Sentmanat sic loquitur in eadem materia. "En el edicto que tube á bien publicar con fecha de 2. de febrero de 1784. por justas causas, que á ello me movieron, suspendi la concesion de las gracias, que mis antecesores los Cardenales de la Cerda, y Delgado habian dispensado á los subditos de la jurisdiccion castrense sobre el uso promiscuo de carnes, y pescado en un mismo dia, y en una misma comida. La experiencia me ha mostrado, que esta providencia dictada por el zelo, y deseo de conservar en los que están encargados á mi cuidado, y vigilancia Personal algun resto de la mortificacion, que

es tan necesaria, y esencial á todos los fieles, ha dado ocasion á transgresiones escandalosas: Prevengo á V. S. para que lo haga saber á todos los capellanes de los cuerpos, que pertenecen á su subdelegacion, que amonestando á todos los que están á su cargo á seguir, en quanto les sea posible, el espíritu de la Iglesia, que como forzada se presta á tener esta condescendencia, relajando una de sus mas saludables leyes, les hagan saber, que usando de las facultades, que me concede su Santidad en la ultima Bula, les permito el uso promiscuo de carnes, y pescados en un mismo dia, y en una misma comida."

155. "Asi mismo por quanto en el citado edicto declaré, que hallandose el militar fuera del pueblo, donde habitan su muger, hijos, y familia, no podian estos usar del privilegio de comer carnes en los dias, en que lo prohibe la Iglesia, habiendo ocurrido dudas sobre el modo en que debe entenderse la ausencia del militar, declaro ahora, que debe entenderse en el caso, en que esté establecido en otra parte, ó destacado, ó con alguna comision particular, ó con licencia, y no en el caso, en que salga por uno, ó dos, ó poco mas dias del pueblo, en que reside."

156. "Igualmente concedo á los comensales, y criados, que no reciben sueldo, ó racion en dinero, sino que comen de la mesa de sus amos, que puedan mezclar en los dias, que estos mezclan, carne, y pescado; pero de ningun modo en los dias que comieren fuera los dichos comensales, y criados, y no en la casa, y de la comida del militar, como ni tampoco podrán comer carne en tales casos, quedando en lo demas en su fuerza, y vigor todo lo declarado, y ordenado en los edictos de mis antecesores."

157. "Advierto á V. S. que por lo tocante al ayuno en los dias que se prescribe, y sobre que se me han hecho varios recursos, y pedido declaraciones, ponderando la incompatibilidad de su observancia con las guardias, y fatigas de los cuerpos, especialmente en los sabados, debe estarse á las reglas comunes de la sana moral, y en caso de duda al dictamen de los capellanes que ven practica-

riticamente quales puden ser causas justas, y quales pretestos voluntarios, y nefugios de la ley. Dios guarde." &c. = El Pardo 29. de Enero de 1788. = *Antonio Obispo Patriarca Vicario general de los Ejercitos.*

158. Ex quibus habes, qui milites sint privilegiati, quibus diebus jejunare tenentur, ad quos extendatur indulgentia promiscuandi, quid faciendum tempore belli, quid feriis sextis, sabbatis quadragesimæ, & tota majori Hebdomada, quid tempore infirmitatis, vel indispositionis militum diebus prohibitis, quid denique in casu dubii. Hæc omnia intelligenda sunt secundum presentem disciplinam.

159. Advertant tamen milites, maxime opibus potentes, plenamque commodis ducentes vitam immunes esse ab his præceptis; non tamen à necessitate poenitentiam agendi, Deo pro peccatis satisfaciendi, exemplum que fidelibus dandi. Sciant omnes jejunium vitia comprimere, mentem ad superna elevare, virtutem largiri, & præmia: uti alta voce canit militans Ecclesia, ut omnes eam audiamus, omnesque, ut Christi milites, jejunemus, jejuent ergo pro peccatis, qui liberi prædicantur a legibus.

CAPUT V.

De decimis, & primitiis.

Accedimus ad explanandum quantum Ecclesie præceptum, in quo jubetur solvere decimas, & primitias. Igitur in hoc capite exponendum est, quibus, a quibus, ex quibus, & sub qua poena solvenda sint decimæ, & primitiæ, ac per doctrinæ connexionem, etiam circa oblationes quidquam discutiemus, sequentes mentem D. Thom. 2. 2. q. 85. & seqq.

PUNCTUM I.

De natura, divisione, & præcepto decimarum.

160. Inq. 1. Quid sit decima? R. Quod est pars decima omnium fructuum Deo in recognitionem supremi domini debita, atque Ecclesie ministris solvenda. Differunt decimæ a primitiis, primo, quia decimæ tri-

buuntur in recognitionem domini universalis, & supremi Dei; primitiæ vero principaliter in recognitionem Dei auctoris omnium rerum. Secundo, quia decimæ a ministrorum sustentationem, & pauperum subsidium solvuntur; primitiæ principaliter in sigum gratitudinis Deo pro acceptis fructibus offeruntur. Tertio, quia decimæ sunt pars præcisæ decimæ cujuscumque rei; primitiæ autem aliqua pars de primis fructibus a terra productis.

161. Nomen decimarum vix tribus sæculis primis Ecclesie auditum fuit, Deinde voluntarie a fidelibus aliquid pro ministrorum sustentatione offerrebat. Alii ferventiores etiam decimas Deo spontaneè dicabant. Exinde quod tamquam ultronea elemosyna incepti, hortatu, & compulsionem Episcoporum, & Parochorum rationem legis obligantis obtinuit. Nam sæculo quinto, & deinceps jam Episcopi poenarum severitate fideles ad pendendas decimas cogebant. Denique temporis decursu decimarum solutio pro lege universalis sancita fuit.

162. Inq. 2. Quotuplex sit Decima? R. Est triplex, nempe prædialis, personalis & mixta ex prædiali, & personali. Prædialis dicitur, quæ ex fructibus agrorum, vinearum, olivetorum, montium, & similibus solvitur. Unde non solum ex vino, oleo, & omni frumento solvenda sunt; sed etiam ex herba, & palea, ubi consuetudo opposita non adest. Personalis appellatur, quæ oritur ex fructibus, sive actionibus personalibus, seu ex industria personæ, ut negotiatione, mercatura, scientia, arte, militia, & alia quacumque actione personali. Mixta nuncupatur, quæ ex fructibus, partim ex natura, partim ex industria dimanat: ut ex foetu animalium, lacte, caseo, butiro, lana, ac similibus. Igitur nomine Decimæ intelligitur in presenti decima pars omnium, quæ vere acquiruntur, ac juste possidentur: exceptis bonis ex testamento, legatione, donatione, aut alio titulo gratuito acceptis.

163. Inq. 3. An decimæ debeantur jure divino, Vel potius ecclesiastico? R. Partim debentur ex jure divino, & partim ex ecclesiastico. Quoad primum liquet: quia jus naturale, & divinum præcipit tribuere congruam sustentationem illis, qui nobis in spiritualibus inserviunt. Dicitur enim

jus

Cap. V. De decimis, & primitiis.

jus naturale, quod sicut Ecclesie ministri populo spiritualia præbent, ita populus eis temporalem sustentationem præstet. Quoad secundum etiam constat: quia hoc est quotum Ecclesie præceptum ab universis fidelibus tamquam de fide amplem, definitum in Concilio Constantiensi contra Wicleph sess. 9. & innovatum in Tridentino sess. 25. cap. 12. de reformat. Constat etiam ex cap. Ad Apostolicæ 20. de decimis, & alibi sæpe in eodem titulo.

164. Pro cujus præcepti intelligentia notari oportet: Decimam dupliciter posse considerari: nempe pro decima sustentationis, seu generice; vel pro decima quotiæ, seu specificæ. Primo modo dicit congruam ministrorum sustentationem: quæ ratione debetur jure naturali, ut diximus. Secundo modo dicit determinate decimam partem fructuum, non octavam, nec nonam. Hoc igitur modo licet in lege veteri debebantur ex præcepto divino positivo, ut liquet ex cap. 22. Exodi: Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere; verum in lege evangelica non debentur ex præcepto divino, nec naturali: tum, quia aliter quam per decimam fructuum partem valet præstari ministris sustentatio jure nature debita: ut patet in grecis, qui decimas non solvunt, & in pluribus Ecclesiis, in quibus non clerici, sed patrones decimas percipiunt. Tum, quia præceptum illud Exodi, utpote judiciale, in morte Christi cessavit. Igitur præceptum solvendi decimas quoad designationem quantitatis solum est ecclesiasticum. Heinc plures decimæ prædiales, & omnes forte personales, quæ aliquando solvebantur, per contrariam consuetudinem penitus sunt abrogatæ; quod accidere minime posset, si jure naturali, aut divino positivo debeantur.

PUNCTUM II.

Quæ personæ, & quibus decimas solvere debeant?

165. Inq. 1. Qui teneantur ad decimarum solutionem? R. Omnes fideles cujuscumque conditionis, & dignitatis teneantur ad decimandum, nisi alias ex aliquo capite excusentur. Quia solutio decimarum ex una parte est actus religionis, quatenus

per earum solutionem recognoscimus omnia a Deo accipere, Deumque esse Dominum supremum, & universalem omnium; ex alia est actus justitiæ, quatenus ordinatur in ministrorum Ecclesie debitam sustentationem. Unde nec Principes, Reges, aut Imperatores liberi sunt ab hac lege: quia etiam ipsi subditi sunt in spiritualibus Pastoribus Ecclesie, ab eis sacramenta suscipiunt; & quo plura a Deo accipiunt beneficia, eo magis ad Dei cultum promovendum adstringuntur, agnoscentes a Deo habere honorem, potestatem, imperium, & quidquid possident, ut optime dicit lex regia Hispaniæ. 1. p. tit. 20. leg. 12.

166. Pauperes, qui sunt in extrema necessitate absoluta, excusantur a solutione decimarum; Illi vero, qui gravi oppressi inopia differunt solutionem, monere debent de sua necessitate Parochum, qui caritate præditus eorum indigentiam providebit. Si autem Parochus decimas eis non remittat, eas solvere tenentur; quando commode possint. Ex jure communi omnes clerici sive regulares, sive sæculares, qui Parochi non sunt, decimare debent ex fructibus laicis: quia etiam ipsi debent a Parocho sacramenta recipere: eo quæ rationem sæculares ad decimas adstringuntur, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 87. art. 4.

167. Parochi non tenentur de prædiis beneficialibus decimare: quia prædia Ecclesie non sunt ad decimas obligata; esto sint intra terminos alterius Parochiæ, ut docet idem Angelicus, ad 1. Ex bonis vero patrimonialibus; quæ titulo sæculari possident, decimare debent Ecclesie, in cuius jurisdictione prædia sita sunt, & cui antea decimas solvebant, ut expresse habetur in cap. Si quis laicus, vel clericus 16. q. 1. & cap. Ecclesie, & duob. seqq. Quod tenet etiam quando ipse est Parochus Ecclesie, cui decimæ debentur, si adsint alii clerici inter quos decimæ dividuntur: quia aliud est aliquid habere ut proprium; aliud ut commune, dicit D. Thom. ubi supra.

168. Infideles nec ad decimas personales, nec ad prædiales tenentur: quia nec personæ, nec eorum prædia subduntur Ecclesie. Si autem aliqua prædia in locis fidelium possideant, tenentur ex eis decimare: